



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Erectione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Paragraphvs II. De Origine & Erectione beneficiorum n genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

v. g. est decantatio, & recitatio horarum, prædicationis verbi Dei, administratio sacramentorum) veluti cum sua causâ, ob quâ datur. *c. ult. de rescript. in sexto*; ita ut si reditus Ecclesiastici, jûve illos percipiendi sive Clerico sive laico assignentur ob munus vel servitium non spirituale, v. g. cantandi, pulsandi organum, vel ob bellum contra infideles, in remunerationem meritorum, nullatenus sit beneficium Ecclesiasticum. Porro dum dicuntur dari ob spirituale officium, vel etiam, ut *Lott. loc. cit. n. 25*, ait, ob spiritualis officii temporalem retributionem, ita accipiendum non est; ac si dentur in compensationem & pretium, sed in sustentationem talium personarum, ut ex cura sibi providendi liberâ Deo melius vacare queant. *Garc. p. 1. c. 2. n. 60.*

Quæres 10. Quid intelligatur per hoc: auctoritate Ecclesiasticâ institutum?

Respondeo: significari beneficium ab ista auctoritate superveniente veluti constitutivo ultimo & formâ esse suum consequi, ceteraque, puta, collationem bonorum, designationem reddituum, constitutionem altaris &c. esse veluti materialia beneficii; *Lott. l. 1. q. 5. n. 41. & 42.* ita ut impossibile sit, jus illud percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis induere rationem beneficii, nisi auctoritate Ecclesiasticâ constituatur, vel confirmetur, beneficiumque ullum Ecclesiasticum, quocumque demum nomine veniat, sine ea interveniente erigi; *Argumento c. nemo. & c. nullus. de consecratione. d. 1. Gonz. ad reg. 8. gl. 5. n. 7. Selv. de benef. p. 1. q. 5. n. 29. Lott. n. 40. Barb. loc. cit. c. 4. n. 15. Corr. l. 1. c. 2. n. 16. & 17. &c.* Ratio: solius enim prælati Ecclesiastici est, officium in Ecclesia instituire, illisque proventus Ecclesiasticos annectere, & dispicere, quot & qualibus ministris Ecclesiæ opus sit; ac proinde novos admittere; vel excludere; ne aliâ magna sequatur confusio *Less. loc. cit. n. 4. Filiuc. loc. cit. n. 4.* Proinde dum fundator quis ex assignato Deoque dicato prædio suo constituisset in perpetuum proventus pro onere legendi missas à præsentando per hæredes suos, ad hoc etiam clerico vel sacerdote, quin & instituen-do ab Episcopo, solâ desideratâ auctoritate Ecclesiasticâ, consensu nimirum Prælati Ecclesiastici id admittentis & confirmantis, necdum erit beneficium. *Corrad. loc. cit.* sed solùm dicitur simpliciter pia donatio. *Barb. ex Lott. loc. cit. n. 56.* eritque talis Capellania carens ereptione & institutione Ordinarii laicale quid. *Corrad. loc. cit. n. 28. Barb. n. 20. citans Nav. consil. 5. de præb. num. 1. Gonz. & alios, concedendum etiam citra privilegium à laico per modum simplicis deputationis sacerdotis. Lott. num. 57. Barb. num. 18.* Quin & præsentari poterit ad eam laicus, quantum est ex natura talis Capellaniæ (secus est, quantum est ex mente fundatoris, quæ servanda est) *Lott. n. 59. citans Abb. in c. 2. de institut. num. 4.* Neque etiam per fundationem talem quaritur fundatori jus aliquod patronatus, sed stabit in pendenti, usque dum accedat consensus prælati Ecclesiastici. *Felin. in c. ex parte. de rescript. nu. 2. Lott. n. 55. Barb. n. 16.* Ac denique non subjacet tale legatum, priusquam erigatur in titulum beneficii, provisioni aut collationi etiam Apostolicæ; cum collatio tanquam necessarium suum antecedens requirat & supponat existentiam beneficii. *Corr. num. 29. & seq. & hinc frequenter tales collationes & provisiones in-*
P. Leuren. Fori Benef. Pars 1.

validæ declaratæ sunt; & signanter talem nullam declaravit Rota in una *Melphirensi legari Pii de anno 1629. coram Dunezetto apud Corrad. num. 28. & Barb. num. 15.*

PARAGRAPHVS II.

De origine & ereptione beneficiorum in genere.

Quæres 11. Qua fuerit beneficiorum Ecclesiasticorum origo?

Respondeo: hanc ferè fuisse ea instituen-di occasionem; quòd postquam in primitiva Ecclesia fideles venditorum à se prædiorum suorum pretia Apostolis deferre soliti essent, ut exinde, prout cuique opus erat, distribueretur; Actorum 4. & 5. Visum dein fuit expedire magis, ut ipsamet prædia seu immobilia bona Ecclesiis donarentur, ex quorum annuis proventibus ministrorum Ecclesiasticorum sustentationi perpetuò provisum esset, præberenturque certa stipendia singulis proprium nihil possidentibus, sed in communi, Episcopo præfidente, vitam agentibus, certâque vivendi normâ (unde Canonici dicti) adstrictis in una aliqua æde seu Collegio, cui certus præfixus titulus v. g. S. Crucis, S. Joannis &c. Recedentibus demum à communi illâ vitâ clericis divisa fuerunt à Dionysio Papâ Parochiæ, singulisque Clericis beneficiorum tituli assignati, ex quibus vitæ necessaria sibi possent ministrare. *C. 1. 13. q. 1.* Porro beneficii Ecclesiastici nomen, etsi plures velint usurpatum primò in Concilio Moguntino ad annum 813. longè tamen antiquius eo usum Innoc. primum, qui vixit anno 400. ostendit *Barb. de benef. c. 4. n. 5. citans Epistolam ipsius Innocentii 2. c. 10. Volum. 1. Concil. & c. si monachus ad Clericatum. 15. q. 1.*

Quæres 12. Quo jure inducta sint beneficia?

Respondeo: inductio seu erectio beneficii, in quantum præcisè est assumptio Clerici ad divinum officium, cum deputatione temporalis retributionis ad vitam sustentandam necessariâ, vel etiam beneficii, in quantum nudè jus est ob ministerium spirituale percipiendi fructus ad congruam sustentationem necessarios, juris est divini ad minimum positivi (dico ad minimum, ait enim *Azor p. 2. l. 6. c. 1.* esse juris divini naturalis; ed quòd militanti & laboranti stipendium, merces, & alimenta jure naturali debeantur) utpote ex præcepto Dei tam in lege Mosaicâ, quàm Evangelicâ revelato, dicente Domino ad Aaronem *Num. 8. Omnia, quæ sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitimâ sempiternâ &c.* Apostolo etiam *1. ad Cor. 9.* hoc institutum legis veteris in lege nova retentum, & à Christo renovatum disertè attestante his verbis: *nescitis, quòd qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt? & qui altari deserviunt, cum altari participant; ita & Dominus ordinavit, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere, ipsòque Christo de operario Evangelico dicente *Luc. 10. dignus est enim operarius mercede sua.* *Lott. l. 1. q. 5. num. 49. & seq.* Unde jam beneficiatus ex patrimonio suo seculari dives,*

dives, adhuc jure divino exigere potest ex rebus Ecclesiæ portionem fructuum, non solum ut debitum alimentum, sed & ut stipendium operæ, cum pro Ecclesiâ labore & militet, neq; hæc eum portione Papa privare potest, nisi fortè ubi is ultro cedat hoc suo jure, ita urex suo patrimonio, non ex beneficio dato vivere velit. Azor *loc. cit.*

2. Si verò spectetur beneficiorum inductio secundum formam illam, quæ beneficiales constituti sunt tituli; deputati que singulis redditus certi ex tabulis prædiis, juribus &c. cum tali vel tali onere, pro hoc vel illo officio &c. est juris merè positivi humani. Lott. *loc. cit. n. 53. & seq.* plenèque subiecta potestati Papæ, utpote qui in hoc sensu beneficia conjungere, dividere, extinguere, augere, minuire, nova erigere ad nutum; ad tempus, sub vel sine conditione conferre &c. potest: Abb. *in c. constitutum. de religiof. domib. n. 15.* & cum eo passim alii, quos cumular Burfat. *conf. 125.* Atque hoc sensu intelligendi sunt illi, qui institutionem beneficiorum absolute esse juris humani pronunciant. Moscon. *de majestate. milit. Eccl. l. 1. p. 3. c. 1.* Marsil. & alii apud Barb. *de benef. c. 4. num. 7.* & qui copiose variis adductis textibus id probat Selva, quem vide *q. 4. ubi etiam num. 23. & 24.* asserit Cardinalatus, & Patriarchatus jure Ecclesiastico inductos, & n. 28, eodem jure, sive ex ordinatione Ecclesiæ esse deputationem personarum, quæ in Episcopatibus præsent, creationem seu erectionem Episcopatum, limitationem, quæ mediante quique suis limitibus contentus esse debeat; juxta quod intelligendum, quod dicitur *c. 1. d. 22.* Episcopatum Cathedras & Ecclesiarum cujuscunque ordinis dignitatem institui ab Ecclesia Romana, eadem de cetero Episcopi prout repræsentant Apostolos, & sumuntur *in c. in novo. d. 22.* & diocesef, ut sumuntur *c. 1. d. 8.* sint de jure divino, non secus ad Papatus.

Quæres 13. Cujus sit erigere seu instituire beneficia?

Respondeo: beneficia majora, hoc est, Cathedralis, aliisque dignitates solus Pontifex instituire potest; *c. 1. d. 22.* Glossa *ibidem.* communiter recepta, Verbo: Omnes. Lott. *cit. q. 5. num. 12. & seq.* citans Mandol. *de signat. gratia. tit. de erectione,* ita ut in hoc Episcopi potestas penitus deficiat. Imol. *in c. olim. de consuet. n. 1.* Lott. *n. 15.* Quod tamen intelligendum non nisi de dignitate noviter erigenda; nam restaurare antiquam, quæ fortè defecisset, cum facilis sit redditus ad statum pristinum, poterit Episcopus, si accedat Capituli consensus, & congrua dos reassignetur. Felin. *in c. cum accessissent. de constitut. n. 14. & seq.* Præposit. *in cit. c. 1. eolum. 2.* Lott. *loc. cit.* Porro quæ beneficia veniant nomine dignitatis, dicitur infra. Vide rantsper Lott. à *num. 17.* minora verò beneficia, hoc est, destituta omni jurisdictione, quantumcunque de cetero curata sint (jurisdictio namque fori penitentialis non est propriè jurisdictio. Butr. *in c. cum Ecclesiarum. de offic. Ordinar. num. 23.* Lott. *num. 37.*) erigi & institui possunt auctoritate Episcopali, seu ab Episcopo. *c. Episcopi. d. 80.* Item ab habente jurisdictionem quasi Episcopalem (qualis hæc intelligitur esse ea, quam habent Prælati quidam Episcopo inferiores, etiam extra congregationem seu Collegium suum diffusam per totum

aliquod territorium certis limitibus finitum, ita ut ea vigeat in Parochos & Parochianos ad exemplum jurisdictionis Episcopi. Lott. *num. 51.*) Abb. *conf. 69. n. 3.* Lamb. *de jurepat. l. 1. p. 1. q. 9. 4. 5. num. 10.* Lott. *n. 49.* dedicatio namque illa temporalium pro beneficio Ecclesiastico non pertinet ad Ordinem, sed quasi ad ordinem; cum sufficiat dedicatio vel etiam consecratio verbalis, quæ magis ad dignitatem Episcopalem, quam ordinem spectat. Franc. *inc. Abbates. de privil. in 6. n. 3.* Lott. *n. 52.* qui nihilominus *n. seq.* citans quoque pro hoc Aut. de Butr. *conf. 19. n. 19.* & Franc. *loc. cit.* censet hoc jus dedicandi, & consequenter potestatem erigendi beneficia dictis prælatis inferioribus non competere, ubi solenniter benedicti, pontificali-busque ornamentis, puta mitra & baculo insigniti non fuerint; eò quod per horum insignium Pontificalium concessionem hæc facultas dedicandi temporalia pro beneficio implicitam habens benedictionem transfundi videatur; & iis deficientibus, non tantum Ordo, sed etiam dignitas & majestas illa Pontificia, cui hæc facultas attribuitur, desideretur: De cetero Prælatus nullus inferior quantumcunque exemptus absque suffragio Episcopi diocesani, aut sine speciali privilegio Sedis Apostolicæ, auctoritatem habet erigendi beneficium. *c. Auctoritate. de privil. in 6.*

Quæres 14. Num igitur ad erectionem beneficii necesse sit interponi auctoritatem & consensum Episcopi, alteriusve Prælati habentis ad hoc potestatem expresse?

Respondeo: sufficere, ut id fiat tacite; unde si Episcopus sciens statum rei, conferat altare vel Capellam jam fundatam seu dotatam, & ordinatam per fundatorem quempiam, satis dicitur, illam vel illud, in beneficium Ecclesiasticum collatum instituisse. Egid. *in c. super hoc. de renunc. n. 18.* Lott. *l. 1. q. 5. num. 63.* Actus enim conferendi in titulum perpetuum non potest cadere nisi in beneficium Ecclesiasticum, adeoque gestus ab Episcopo sciente statum talis Capellæ, nondum scilicet auctoritate Ecclesiasticâ, erectæ in beneficium, satis indicat præsentem ejus voluntatem erigendi illam in tale; secus tamen est, si solum concedat facultatem in tali altari vel Capellâ celebrandi. Lott. *n. 65.* Corr. *l. 1. c. 2. n. 23.* cum actus celebrandi cadat etiam in oratoria privata non dotata, & in his sine licentia Episcopi celebrari nequeat juxta *c. si quis etiam. de consecratione. d. 1.*

Quæres 15. Dum agitur de non arguendo consensu Episcopi ex actu aliquo positivo eum involvente, sed de presumptione solum in præteritum, undenam præsumatur interpositam fuisse ab initio auctoritatem Ecclesiasticam?

Respondeo: id indicari ex statu præsentem, qui si in reliquis se conformet statui beneficii, puta, quia Ecclesiâ adificata reperitur in forma debita, habet dotem & Rectorem, ipse consensus Episcopi ab initio præbitus præsumitur, Card. *conf. n. num. 6.* Archid. *in cit. c. nemo num. 3.* Lott. *nu. 68.* Barb. *cit. c. 4. n. 23.* Corr. *c. 2. n. 63.* uti etiam in dubio, ubi non constat, an talis fundatio sit beneficium

neq

nec ne, habendum est pro beneficio, si reperiatur collatum per Ordinarium in titulum beneficii, & ita attendendus est ultimus ejus status. *Corr. loc. cit. n. 58. & 59.* citans plures *Rota decif. & collatio ipsa sustinenda, quatenus in continere non docetur de statu contrario. Corrad. n. 62.* citans *Calder. conf. 43. de preb.* De cetero ubi constat de anteriori statu Laicalitatis & temporalitatis, ob defectum auctoritatis Ecclesiasticae primitus non interposita, non est attendendus status ultimus. *Corrad. loc. cit. n. 31. Rota decif. 2. de preb. in Recent.* Adeoque attendendum etiam non est, quod in provisione ultimi possessoris ad fuerit intentio Ordinarii, quia in inducenda qualitate beneficii attenditur tantum fundatio, & erectio. *Corrad. n. 41.* Quare nec ista Ordinarii institutio arguit illud exercitè vi ilius institutionis fuisse erectum auctoritate Episcopi; nisi constet Ordinarium scientem statum beneficii id fecisse juxta dicta paulò antè: ubi nimirum fundator non disposuit contrarium; nam si constet, fundatorem noluisse Capellaniam esse collativam, non sufficit, quod ut talis collata fuerit, etiam spatio 40. annorum, sed requiritur tempus immemorabile. *Corrad. cit. n. 59.* citans *Garc. in addit. ad p. 1. c. 2. n. 115. & seq.*

Queres 16. Num ergo rectè presumatur vel arguatur, Episcopum prabuisse consensum, quod constet, hunc ab eo petsum, vel etiam Episcopum dedisse consilium fundandi & dotandi talis altaris vel Ecclesia?

Respondeo negativè: *Barb. cit. c. 4. num. 22. Lamb. l. 1. p. 1. q. 9. a. 2. num. 131. Lott. l. 1. q. 32. num. 6.*

Queres 17. Quae sint veluti materialia beneficii praesupposita ejus Ereptioni?

Respondeo: esse praedia & redditus, quae pro dote applicantur, fundus, ipsiusque Ecclesiae, vel altaris rube aedificium, Ecclesiae vel altaris consecratio; item officium divinum, quod beneficio annectitur, leges fundationis: atque ita materia haec partim spiritualis, partim est profana. *Lott. l. 1. q. 7. n. 8.* suntque haec tria locus fundationis, dos beneficii, & leges fundationis, in quorum examine officium superioris Ecclesiastici erigentis consumitur. *Calder. de jurepat. conf. 20. nu. 1. Lott. l. 1. q. 13. n. 1.*

Queres 18. Quis sit locus necessarius beneficii?

Respondeo: Ecclesia aliqua vel Capella: requiritur namque ut beneficium habeat Ecclesiam; *Selva. q. 5. sub initium:* nempe certam aliquam, in qua erigatur, seu cui adscribatur; neque enim beneficium & titulus separantur respectu loci, cum ibi dicatur consistere beneficium, ubi impenditur officium: *Rota decif. 9. de preb. in antiq. Lott. loc. cit. n. 127.* & hoc, etiam si dos sit constituta alibi, cum veluti accessoria sequatur naturam & consentientiam beneficii. *Oldr. consil. 257 nu. 15. Navar. conf. 6. de verb. signif. apud Lott. nu. 28.* & etiam si beneficium de facto officium expleat alibi, cum ad hunc *P. Leuren. Fori Benef. Tom. 1.*

effectum attendatur destinatio. *Rota cit. decif. 9. & decif. 119. in Recent. n. 3.* apud *Lott. n. 29.* Porro nomine Ecclesiae non venit hic universalis fidelium collectio, pro ut sumitur *c. Ecclesia. 8. de consecr. d. 1.* neque particularis Canonica collectio Clericorum in aliqua domo Deo dicata; pro ut etiam sumitur *cit. c.* neque Praelatura ipsius Ecclesiae, aut ejus redditus, ut sumitur. *quoniam. & c. querelam & c. ne pralati vices suas.* sed ipsa sacra domus, pro ut est aedificium constans parietibus, & recto, auctoritate Episcopi ad hoc destinatum, ut sumitur *in c. nemo. d. 1. Lott. cit. q. 13. n. 3.* quae si major est, templum dicitur. *Bellamer. inc & hoc dicimus. 16. q. 7.* dicitur etiam quandoque Basilica, quod in ea Regi Regum serviat. *Selva. loc. cit. num. 30.* De cetero dicitur quandoque etiam martyrium; dum in honorem martyris alicujus, seu ejus memoriae & reliquiis singulariter posita est. *Lott. num. 48.* ex *Euseb. Hist. Eccl. l. 11. c. 17. & 19.* quamvis ad differentiam templi martyrium olim dicebatur quodcumque aedificium sacrum, in memoriam alicujus rei in illo loco gesta. *Lott. num. 47.* aliàs Capella, Sacellum, Sacarium, Oratorium, Selva. *ibid.* quamvis oratorium generaliter potius significet locum quemcumque ad orandum statutum, adeoque comprehendat etiam privata oratoria, quae sunt sine auctoritate Episcopi, remanente loco profano, in quibus celebratur super portatili, cujus usum permittit Episcopus. *Lott. q. 13. num. 49.* Nulla interim admittitur differentia, sive Ecclesia sit consecrata solemniter per unctionem illam christianis, sive simpliciter solum instructa auctoritate Episcopi, riteque deputata pro habendis ibi officiis divinis juxta *c. nemo Ecclesiam Lott. loc. cit. n. 7.*

Queres 19. An prater hunc locum communem beneficiorum (qualem Ecclesiam dicit Lott. l. 1. q. 30. n. 1. & 2. dum in ea erigi possunt plura beneficia & tituli) detur locus proprius beneficii, & quis ille?

Respondeo: hunc esse & dici Altare, quod beneficio in ejus ereptione assignatur, & in quo beneficiarius per se, vel per alium pensum suum absolvit. *Lott. loc. cit. & num. 3.* hinc beneficiarius servire dicitur Altari, & de Altari vivere. Possunt autem ad unum altare plura constitui beneficia. *Rochus de jurep. V. & dotavit. n. 30. Lott. loc. cit. nu. 40. uti & q. 2. n. 44.* sub diversis tamen invocationibus. *Lott. ibid.* citans *Rotam in una Hipporegensi Capellania S. Martini. 5. Decemb. Anno 1628.* quin & sub eadem invocatione, & extra casum, in quo destructo Altari priore ad aliud altare ejus beneficium transfertur. *C. de Luca. jurep. d. 17. nu. 3.* Quod si non apparet, an Altare fuerit nec ne erectum in beneficium, attenditur illius ultimus status; altare enim, quod datur in titulum, dicitur beneficium, & venit appellatione beneficii. *Decius conf. 210. n. 4.* apud *Lott. cit. q. 30. num. 39.* quamvis tamen literis Apostolicis concernentibus materiam provisionis exponatur altare pro Ecclesiae seu beneficii titulo. *Abb. inc. 1. de success. ab intest. Lott. num. 41.* utpote qui est locus, cui affixum est munus à Clerico per solventum. *Lott. q. 2. num. 44.* uti & nomine Altaris venit ipse Rector seu minister Altaris. *Rota decif. 216. num. 2. p. 2. in Recent.* Porro non secus ex constructione, fundatio-

datione, & dotatione altaris acquiritur jus patronatus, quàm ex dotatione, fundatione, & constructione Ecclesiæ. Lamb. de jure pat. l. 1. p. 1. q. 11. a. 9. num. 9. Lott. loc. cit. n. 12. Item dum Altare constructum in Ecclesia habet Rectorem suam, & Rectorem, & aliquid ei, sive in eo depicta legatur vel offertur, totum illud eidem altari acquiritur per accessionem, ut loquitur Abb. loc. cit. hoc est, accedit ad dotem dicti altaris. Lott. loc. cit. nu. 34. si verò non habeat dotem neque Rectorem, acquiritur ipsi Ecclesiæ, in qua est altare, præcipue si est Ecclesia regularis, c. 1. de statu monach. Marefch. variar. resol. l. 2. c. 42. num. 3. apud Lott. n. 36.

Quares 20. An in quibuscunque Ecclesiis erigi possint beneficia, etiam cum reservatione juris patronatus & conditionibus juris communi aliis contrariis, etiam dum ipsa Ecclesia, & altaria, aut Capella in iis existentes sunt de hujusmodi jure patronatus, aut etiam dum earum Ecclesiarum Prælati seu Rectores contradicunt?

Respondeo affirmativè: cum consensu tamen Patronarii; cum id tendat ad cultus divini augmentum, nullumque prædictis Prælati seu Ecclesiarum Rectoribus inferatur præjudicium, utpote qui neque prætextu fundi quidquam prætere posse possunt, cum solus dotans & construens in Ecclesia juxta consuetudinem ubique ferè receptam in ecclesia fiat patronus, Ecclesia verò aut ejus Rector ratione fundi non fiat compatrona, nec compatronus. Neque etiam dum dictæ Ecclesiæ jam sunt de jure patronatus sive singularium personarum, sive Collegii aut Universitatis, horum patronorum consensus ad hoc requiritur, cum ipsi non habeant jus in fundo Ecclesiæ, sed tantum præferendi in ea Rectorem aliisque sibi ex fundatione reservata: proinde, ut responsum, hujusmodi erectiones dicto modo impediri nequeunt; cum beneficia hujusmodi ubique erigi possint. ita ferè Corrad. l. 4. c. 6. n. 42.

Quares 21. Quid veniat nomine dotis beneficii?

Respondeo: certa bona eorumque proventus assignati beneficio, pro illius tanquam matrimonii spiritualis cum Ecclesia initi supportandis oneribus. Paul. de Cittadinis de jurepat. p. 13. nu. 5. & seq. Lott. l. 1. q. 31. num. 1. numerantur autem inter hæc omnia alimenta Rectoris, juxta c. cum secundum Apostolum. de præb. impensæ ad facta tecta habenda illius Ecclesiæ vel altaris c. 1. de Eccl. edific. ac pro luminibus aliisque sacrâ suppellectili juxta C. altaris palla. de consecr. d. 1.

Quares 22. Num hac dos congrua sit necessaria, ut ante eam assignatam Episcopus fundationi beneficii nullatenus consentire possit?

Respondeo affirmativè: c. nemo Ecclesiam. 9. d. 1. Lott. cit. q. 13. nu. 2. cum communi; qui etiam n. 60. & 61. monet observare debere Episcopum in hac dotis constitutione, ut nuncupatum fiat hoc nomine, & non nomine stipendii vel salarii pro

Capellano vel Sacerdote, eò quòd etiam Oratoria, Hospitalia, aliæque loca pia habere possint bona, ex quibus persona Ecclesiastica percipiant redditus, absque eo tamen, quòd sint beneficia.

Quares 23. Quid si ergò constructa Ecclesia fundator negligat eam dotare, num is aut illius hæredes compelli poterunt ad præstandam dotem?

Respondeo affirmativè: Gl. inc. piamenti. 16. q. collata. Lott. cit. q. 31. n. 4. qui tamen addit, nisi malit perdere jus totum patronatus. Sic etiam, ubi quidem dos aliqua collata, sed insufficientis, compelli poterit ad dotem complendam. Lott. loc. cit. num. 7. Lamb. de jurep. l. 1. p. 1. q. 5. a. 13. cum paria sint nullam, vel incongruam assignasse dotem. Lamb. a. 21. n. 1. Tenentque hæc etiam si constructio facta esset absque auctoritate Episcopi. Abb. conf. 89. p. 2. n. 2. Non tamen tenent de Capella vel altari aliquo in Ecclesia jam erecta & competenter dotata constructio simplicis devotionis causâ. Lott. loc. cit. n. 6.

Quares 24. Quid si ignoretur beneficium ab initio sufficienter donatum fuisse, an per hoc amittat statum beneficii?

Respondeo negativè: neque enim bene inferitur; non habet dotem, ergo non est beneficium, eò quòd multa contingere potuerint, ut dos etiam penitus interiret: Lott. cit. q. 31. n. 24. citans Berran. volum. 6. conf. 257. num. 1. quod tamen intelligendum credo de beneficio habito semper tali, et si prima ejus dotatio aliter probari non possit. Illud nihilominus & nihil aliud operabitur hic defectus dotis, quòd dicatur beneficium de pertica & impermutabile cum alio, quod dotem habet. Lott. n. 25. Gomez. l. 1. decis. 28. nimirum ob fraudem, quæ regulariter semper præsumitur, etiam dum permutatur, cum beneficio habente tenues redditus. Abb. in c. vero simile, de præsumpt. n. 22. Lott. n. 28. Paris. de resign. l. 13. q. 4. n. 8. Tholosan. de benef. c. 31. num. 15. & alii, quos vide apud Tiraq. ad l. si unquam. c. de revoc. donat. num. 122. & Lott. loc. cit. quamvis purgatâ hac suspitione fraudis ex facto & auctoritate superioris statum scilicet scientis, & tamen talem permutationem admittentis citra fraudem cujuspiam: quod ideo vix praticari posse ab inferiore Papâ censet Lott. nu. 29. promotio talis fieri, & sustineri potest, Decius. conf. 210. n. 5. Gomez. loc. cit. Contradicit nihilominus huic doctrinæ Zoës: citans pro se Jo. And. tenet namque beneficium non habens fructus rectè permutari cum habente fructus; cum non curetur de fructibus, sed tantum agatur de jure spirituali, cujus fit permutatio: nec posse præsumi fraudem; cù ex generali regula nemo præsumatur malus, nisi probetur; & cuilibet liceat uti jure suo, si aliud nihil concurrat, quod fraudem faciat; ut si morti vicinus vel senex permutet pingue cum tenui. Azor. p. 2. l. 7. c. 29. q. 15.

Quares 25. Quanam censenda dos congrua beneficii?

Respondeo: quamvis de hoc statuere spectet vel maxime ad arbitrium judicis; Busfar. l. 3. conf.

1. 3. *conf. 80. num. 15. Menoch. casu 149. n. 34. Lott. loc. cit. n. 8.* hoc tamen arbitrium regulandum aliis circumstantiis, quam quibus id regulatur in statuendo de dote mulieris; in hac enim expenduntur facultas donantis, legitima mulieri debita, & alia hujusmodi, de quibus vide Menoch. *loc. cit. num. 2.* quæ non conveniunt rationi statuendæ hujus dotis Ecclesiasticæ. *Lott. loc. cit. nu. 9. & 10.* De cetero ubi non est taxata quantitas dotis à jure, prout factum à Trid. *sess. 24. c. 13. in Cathedralibus & Parochialibus*, illud potissimum considerandum, an sufficiat ad impensas onerum altaris ex lege fundatoris adjectorum, & sustentationem necessariam ipsius beneficiarii in tali ministerio, non habitâ ratione alimentorum, vel congruæ sustentationis extra hujusmodi ministerium. *Lott. n. 13.* uti nec habitâ ratione conservandi splendoris vel dignitatis familiæ beneficiati; habito tamen semper, ut dictum, respectu ad ministerium, quod exhibet, & cui convenienter alendus. Unde si beneficium esset residentis præcisæ & continuæ, utique constituenda foret dos sufficiens pro sustentandâ vitâ in loco ipsius beneficii, inspectâ etiam loci ipsius qualitate, num v.g. ex majori populi frequentia ibidem sit major annonæ caritas. *Lott. num. 14.* ita tamen juxta Abb. *in c. conquirente, de cler. non resid. n. 1.* ut dos nunquam sit minor 50. aureis, quot annis percipiendis.

2. Porro notandum, longè diversam ab hac quaestione esse illam, quæ occasione pluralitatis beneficiorum proponi solet; nimirum quodnam beneficium censetur sufficiens ad honestam sustentationem Clerici; ibi enim responderi solet, præter rationem ipsam dignitatis, & status beneficii, habendam insuper rationem status & conditionis ipsiusmet beneficiati, puta nobilitatis, dignitatis &c. quam habet independentè à tali beneficio, ratione cujus ampliore familiam & mensam requirit, pluribusque eget; de quo vide tantisper Molin. *tr. de just. D. 145. a. 7. Azor. l. 6. c. 10. q. 2. Pirh. ad tit. 5. l. 3. n. 34.*

Quæres 26. Quid si ergo beneficium prius ritè & congruè dotatum, postmodum sit ita depauperatum, ut jam sit sine dote, aut cum dote omnino modicâ & incongruâ?

1. Respondeo primò: dum beneficium est Ecclesiæ Parochialis, fundata à populo, is cogi potest ad redintegrandam dotem usque ad sufficientiam, propter necessitatem administrationis sacramentorum. *Lott. cit. q. 31. n. 16.* citans Archid. *in c. si plures. 16. q. 7.* manente apud quemlibet de populo potestate agendi de rei vindicatione contra occupatores bonorum, quæ prius habebat Ecclesiæ. *c. si quis presbyterorum. de rebus Ecclesiæ non alienand. ibid. Gl. Lott. n. 17.* Quin & apud illum ipsum, qui bona alienavit, non obstante quocunque juramento, *Lott. n. 17. Surd. de alim. tit. 7. q. 38. n. 8.* cum pluribus aliis apud Barb. *in cit. c. si quis. n. 8.* ubi addit posse Ecclesiam hoc casu nullo restituto pretio res malè alienatas repetere, nisi fortè pretium sit conversum in utilitatem Ecclesiæ; quod ipsum tamen admodum clarè liquere deberet. *Greg. decis. 116. n. 3. Lott. loc. cit. ubi namque Ecclesiæ spoliata est, etiam factò sui Rectoris probato primo extremo illico restituitur, Verbal. p. 3. decis. 170. Rota decis. 473. n. 2. p. 2. in Recent. aliisque apud Lott. loc. cit.*

2. Respondeo secundò: si beneficium tale fundatum fuerit à privato, dósque ejus totaliter perierit; tenebitur fundator illud redotare; qui tamen hoc onere liberabitur cedendo jure suo; & si absque ulla cessione prævenit tertius quis in redotando, ad hunc transibit jus patronatûs, secundum tamen eam distinctionem, quam adhibet Lamb. *l. 1. q. 6. a. 4. n. 5.* si verò non totaliter, sed solum notabiliter interierit dos, vel etiam à principio insufficientis omnino constituta fuerit, supplemènti dotem usque ad sufficientiam non acquiritur jus patronatûs sine consensu patroni prioris, ubi beneficium est juris patronatûs. *Lamb. loc. cit. Lott. n. 21.* Ubi verò beneficium est liberæ collationis, illud redotans priore dote penitus amissâ, efficitur patronus. Dote illius tantum valde diminutâ non per quodcumque supplementum quæritur supplemènti jus patronatûs, quantum est de jure communi. *Lamb. loc. cit. nu. 2. Abb. in c. quoniam. de jure patronatus. apud Lott. nu. 22.* & hinc si intuitu talis augmenti concedatur alicui à Papa jus patronatûs, dicitur illi competere ex privilegio, non ex dispositione juris. *Lamb. loc. cit. Lott. n. 23.*

Quæres 27. An & qualiter dos beneficii fundusque, in quo ea constituitur, debeant esse libera?

1. Respondeo: quemadmodum dos debet esse libera, ita & fundus, dum in eo seu in manso (mansus enim idem est quod mensus, id est, ager certæ dimensæ quantitatis, ut ex lexico juridico *Lott. cit. q. 31. n. 35.*) & non in decimis constituitur, immunis esse debet à quocunque tributo, non solum respectu ipsius dotantis, sed & cujusvis alterius; juxta *Gl. ad c. si quis basilicam. d. 1. de consec. juxtaque. c. secundum Canonicam 23. q. 8.* qui tamen textus posterior intelligitur de dote ipsâ, pièque oblati; non verò de aliis titulo emptionis, aut simili acquisitis Ecclesiæ. *Gl. & Turrecrem. ibid. apud Lott. n. 37.*

2. Nihilominus dote constitutâ in fundo Emphyteutico seu feudali, qui pendit canonem Domino directo, nullum huic creatur præjudicium, cum transeat id onus cum fundo in Ecclesiam. *Suar. in defens. fidei. l. 4. c. 2. n. 5. & seq. cit. à Lott. n. 37.* Requiritur autem consensus Domini directi, eò quòd per constitutam in eo dotem auferatur à Domino directo omnis spes devolutionis ad eundem, quòd fieri absque ejus consensu esset intolerabile. *Lamb. loc. cit. n. 3. Lott. n. 40.* Unde consensu hoc non præstito, cogitur Ecclesiæ hujusmodi vendere alicui privato, locòque fundi recipere pretium. *Jafon. in l. fin. de jure Emphyt. n. 91. Gratian. forens. discept. c. 481. n. 67. Rota q. 1. decis. 368. n. 1. decis. 603. n. 1. Recent. & alii apud Lott. n. 41.*

3. Ubi tamen subiectio, pro qua aliquid penditur, procedit purè à jure jurisdictionis, vi cujus principes sæculares imponunt tributa vectigalia, similiaque onera, tunc si fundus assignetur in dotem, seu simpliciter donetur Ecclesiæ, proferus talis subiectio dissolvitur, manetque fundus liber penitus & exemptus juxta *c. secundum Canonicam. Lott. n. 42. Suar. loc. cit. n. 13. Jo. Currier. in tr. de gabell. q. 92. a. 62.* idque tam jure humano, quam divino, ut ait Bonif. 8. c. *quoniam. de censib.* & hoc præsciendò à constitutione contrariâ ipsius fundatoris, seu dotantis. *Lott. n. 44.* posse enim hunc

alias in limine foundationis adicere, ut etiam onera ista perferantur ab Ecclesia, & ad eam transeant (cūm cuique donanti rem, etiam Ecclesie liberum sit adicere, quas vult conditiones & onera, c. verum & c. de apposit. condit.) dicendum est. Anchar. conf. 217. n. 3. Loffred. conf. 3. n. 23. apud Lott. nu. 43. Qualiter verò hæc immunitas suffragetur Colonis Ecclesie, quò minus teneantur solvere gabellas de parte fructuum illos contingente, & alia onera à dominis temporalibus imposita subire, vide apud eundem Lott. n. 45. & seq. fuse.

Queres 28. Quid veniat hic nomine legum beneficij, à quo ea concipienda, constituenda & approbanda?

1. Respondeo ad primum, intelligi constitutiones & ordinationes, juxta quas deinceps administrandum est beneficium?

2. Respondeo ad secundum, eas prout voluerit, constituendi & concipiendi facultatem esse, & relinqui penes fundatorem beneficij. Abb. in 6. significatum, de prob. in 5. plurimum liquidem voluntati fundatorum quoad has leges in limine foundationis constituendas deferunt jura Butr. in c. cum dilectus, de consuetud. n. 44. Lott. l. 1. q. 32. n. 2. volueruntque eas quasi vim legis obtinere. Auth. de nuptiis. §. disponat. idque in favorem Ecclesiarum, ut alliciantur alii, & non retrahantur à foundationibus. l. in re mandata. c. mandasti. Anchar. conf. 29. n. 1.

3. Respondeo ad tertium: eas examinandi admittendique auctoritatem esse penes Episcopum, seu habentem potestatem erigendi beneficium; hujus enim uti est examinare locum erectionis & dotis congruentiam, ita etiam futurum beneficij regimen. Calder. de jure pat. conf. ult. in 1. colum. Unde etiam quatenus hæc leges defleunt ab orbita juris, id totum pender ab auctoritate Episcopi. Butr. loc. cit. n. 10. Imol. in idem c. cum dilectus. n. 22. eaque propterea dicatur causa efficiens harum legum à Lamb. l. 1. p. 1. q. 9. n. 2. n. 69. Ita tamen, ut si Episcopus sine legitima causa deneger his legibus consentire, possit fundator recurrere ad superiorem qui eum cogat ad consentiendum; vel si contumax maneat, ipse superior consentiat. Felin. in 6. cum venerabilis. de except. Lamb. n. 112. Lott. n. 17.

Queres 29. Quando nam constitutiones fundatoris sint tales, ut eas rejicere possit Episcopus, vel etiam, si ea consentiat, ea tamen non obligent?

Respondeo primò: dum sunt impossibiles; impossibilium enim nulla est obligatio; impossibilibus autem æquiparantur primò, quæ nimiam difficultatem habent l. cum heres. ff. de stat. liber. secundò: quæ turpes sunt, seu contra bonos mores, Papinian. in l. filius. de condition. instir. Lott. cit. q. 32. n. 27. tertio: quæ sunt contra substantiam beneficij; qui enim contra substantiam beneficij leges meditatur, utique destruit, quod agit; cūm iis politis subjectum corrumpatur, l. cum precario. ff. de precario quartò: quæ sunt contra perpetuam legum eas improbantium prohibitionem. Denique hæc leges, uti & quæ sunt contra substantiam beneficij, à juris consuetudine dicuntur derisionæ. in l. si stipul. 2. de verb. oblig. ratio horum omnium est, quia hæc leges, seu potius harum conditionum im-

pletio non est in cujusvis potestate J. C. in cit. l. filius. Cujac. ad quest. l. 16. Lott. n. 31.

Queres 30. Quæ leges seu conditiones censenda sint contra perpetuam legum eas improbantium prohibitionem?

1. Respondeo: non censi eo ipso à jure improbaras conditiones, quòd aliquid à jure prohibitum contineant, etsi enim simpliciter tantum à jure exorbitent, adhuc tamen ab Episcopo admittendæ sunt; neque ille tales admittendo quidquam contra jus moliri censetur; cūm id faciat ipsius juris permisso. Butr. in c. dilectus. n. 42. etiam res ipsas Ecclesiasticas servituti subjiendo. in c. hoc consultissimo. de rebus Ecclesie non alien. in 6. quia & in qualibet dispositione juris novi inductiva semper præserventur contrariæ fundatorum ordinationes, ut in Clem. quia contingit. de relig. domib. C. Eleutherius. 18. q. 2.

2. Respondeo secundò ex mente Rotæ apud Lott. cit. q. 32. n. 32. videri eas intelligi conditiones, quæ reflexe, & in individuum prohibentur apponi; ex mente verò Lott. loc. cit. n. 3. eas, quæ per prohibitionem perpetuam, quæ habet causam à jure perpetuo & immutabili (subintellige nimirum superiore v. g. naturali aut divino, quod à jure humano, immutabile est) reprobandur, ita ut hæc perpetuitas opponatur possibilitati ipsius juris, uti sumitur in materia prohibitionis nuptiarum apud Sauch. de matr. l. 4. d. 4. n. 8. Hinc tamen si pueris beneficia Ecclesiastica conferri jus prohibeat, tamen quia hæc prohibitio est variabilis, utpote à jure positivo humano dependens, & toleranda adhuc est lex fundatoris mandans puerum, imò infantem institui in beneficio; uti pro hoc binas Rotæ decis. citat Lott. n. 34. sic, licet neque Episcopus, neque ullus alius beneficiarius eligere sibi possit successorem, juxta c. Episcopo 8. q. 1. quia tamen hæc absoluta prohibitio non habet causam perpetuam à jure natura, nihil est, quin si in foundatione dispositum fuerit, ut Rector beneficij designet sibi successorem in eodem beneficio, hæc dispositio servanda erit, uti concludit Lamb. cit. q. 9. d. 3. nu. 18. Lott. nu. 38.

Queres 31. Num leges à fundatore in limine foundationis appositæ possint dein ex consensu Episcopi alterari, aut alia insuper apponi, etiam ab ipso fundatore?

Respondeo negativè: Gl. in c. cum dilectus. de consuetud. verbo. constitutum. Abb. n. 5. Imol. n. 22. Rota decis. 561. n. 2. p. 2. in Recent. Lott. cit. q. 32. n. 8. contra plures alios, quos citat Garc. p. 7. c. 1. n. 105. quorum plures volunt id posse Episcopum cum consensu patroni successoris fundatoris pro una alterave vice dispensando contra ordinationem fundatoris; saltem ubi id non fieret in præjudicium certa personæ, quæ deberet præsentari. Hinc beneficium semel constitutum in libertate non potest redigi in servitutem. Bald. in c. significavit. de testib. p. 1. nec magis gravari, quam fuerit gravatum in foundatione. Lott. n. 11. & seq. Contrarium tamen quoad hoc postremum tenet Azor. p. 2. l. 6. c. 26. q. 3. in fine, ubi ait; beneficio vacanti potest Episcopus aliquid onus imponere, ita ut ad quemcunque beneficium transeat, cum eo onere transeat; ait tamen

tamen Lott. l. 3. q. 27. n. 19. liberam esse hac in re facultatem Episcopi in superinducenda beneficio residentia, urgente necessitate vel utilitate Ecclesie ex defectu ministrorum; sic quoque tradit Laym. ad c. significatum. de prob. n. 40. citans pro hoc Glossam in idem c. Imolam ibid. n. 9. Abb. n. 7. & Glossam in c. penul. de magistris. V. unius. In specie posse Episcopum cum Capituli sui consensu ex rationabili causa dum vacat beneficium, ei adijcere onus, v.g. ut deinceps illud obtinens doceat scripturam, vel habeat Catechesin. Item licet Capellania ex prima fundatione, unius tantum in hebdomade aut duarum missarum onus habeat, ex justa causa aut necessitate posse ab Episcopo augeri hunc numerum missarum; si nimirum redditus sufficiant, & Ecclesia frequentiore sacrificio egeat, Quod si tamen beneficium sit juris patronatus, adhibendum consensum Patroni, qui illum rationabiliter negare

non potest, ubi adest talis causa vel necessitas. Vide dicenda inferius, ubi quid possit patronus. Item ubi, qualiter collatio fieri debeat sine diminutione. Probabile quoque videtur, quod ait Garc. p. 7. c. 1. n. 103. clarum videtur posse patronum fundatorem (etsi secus sit de patrono successore fundatoris) etiam ex post facto tollere seu alterare conditiones seu qualitates tempore fundationis appositae cum consensu Episcopi, saltem ex justa causa, dum nempe hæc mutatio foret utilis Ecclesie; citatque pro hac sententia Lamb. Felin. Gutierrez, & plures alios. Multo que igitur minus prælatus infertor Episcopo, v.g. Capitulum Cathedrale, aut Ecclesia aliqua Cathedralis, etsi jus habeat conferendi beneficia, eorum naturam, & institutionem per nova statuta mutare potest absque Episcopi auctoritate. Laym. loc. cit. ex Abb. ibidem. n. 2.

CAPUT SECUNDUM.

De divisione beneficii in suas species subalternantes, & harum singularum specialibus conditionibus & qualitatibus.

PARAGRAPHVS I.

Dividitur beneficium in suas primarias species &c.

Quæres 32. Qualiter dividatur beneficium?

Respondeo primò in genere, cum beneficiorum Ecclesiasticorum una sit substantia & forma, sed diversæ penitus qualitates, ex quibus veluti unum ab altero diversum judicatur; unumquodque imaginem seu speciem ex dictis qualitatibus ei impressis contrahit; ea dicitur seu vocatur status beneficii seu conditio. Lott. l. 1. q. 34. n. 1. quamvis autem impressio ista certarum qualitatum, quæ facit beneficium à beneficio specie differre, sit diversissima, ut propterea à statu beneficiorum quasi innumeræ eorum species consurgant; ad tamen ferè species hæc qualitates reduci possunt: Prima eorum, quæ differunt inter se ratione collatariorum, & hæc efformant duplicem statum beneficiorum, regularem & sæcularem, prout nimirum debita sunt conferri Clericis vel regularibus vel sæcularibus, non attento an collator sit regularis an sæcularis. Altera eorum, quæ differunt ratione annexi, puta certi servitii, ordinis, dignitatis, officii, vel etiam debiti conferri personæ certæ qualitatis, puta filio familias, magistro, vel Doctori; unde beneficia dicuntur patrimonialia, doctoralia, sacerdotalia, parochialia, curata &c. Lott. n. 6. 12. & seq. Terria eorum, quæ differunt ratione actûs provisionis beneficii; dum nimirum ea vel est libera, vel fit ad electionem, nominationem, vel præsentationem alterius; unde diversus insurgit status beneficii impressus, ut inde judicetur vel liberum vel servum. Lott. num. 11, unde jam magis enucleatè

2. Respondeo secundò: dividitur primò in sæculare & regulare. ex c. cum de beneficiis. c. cum singula. de prob. in 6. Sæculare est, quod per Clericos sæculares,

hoc est, omni religiosorum voto & regulâ solutos regitur, & administratur. Castrop. de benef. d. 1. p. 2. n. 2. Azor. p. 2. l. 3. c. 1. q. 4. Cui sæcularitati non obest, quòd ad regulares ejus collatio aut præsentatio pertineat, aut quòd ipsi religioni unitum sit; Gonz. ad reg. 8. gl. 8. n. 38. Sanch. in sum. l. 7. c. 29. n. 14. apud Castrop. loc. cit. Regulare, quod solis religiosis confertur; utpote iis solis ex fundatione seu institutione, seu consuetudine, vel præscriptione ad dictum, ut Abbatia, Prioratus, Canonicatus, regularis, & aliqua parochiæ. Castrop. & Azor. loc. cit. Garc. p. 7. c. 20. dum autem non constat esse regulare, præsumitur semper sæculare; quia hoc Ecclesie est favorabilius, utpote quæ in regimine & administratione beneficiorum sæcularium procedit liberius; Sanch. loc. cit. c. 12. Garc. p. 6. c. 1. num. 12. Barb. de potest. Episcopi. parte 3. alleg. 56. num. 167. Tusch. & alii apud Castrop. possessio autem adjudicanda est secundum ultimum statum, in quo beneficium vacavit; ut si vacavit per obitum possessoris regularis, regulare censeatur. Barb. ibid. n. 168. Garc. p. 7. c. 10. n. 34. & alii apud Castrop. per statum enim præcedentem beneficium est constitutum in possessione, à qua sine manifesta ratione removeri non potest. Castrop. ibid.

3. Secundò: dividitur beneficium tam regulare quàm sæculare in duplex & simplex; duplex est, quod aliquâ qualitate juris affectum est. Azor. Castrop. loc. cit. qualitatibus verò nomine hic veniunt jurisdictio aliqua in Clerum, aliò sive v.g. parochianos, administratio & dispensatio rerum Ecclesiasticarum, præminentia aliqua localis, seu gradus honorificus in choro seu Collegio Clericorum; Azor & Castrop. loc. cit. unde beneficium duplex quadrifariam dividitur: beneficium enim conjunctum cum eminentia & jurisdictione fori externi in clericos, etiam dum caret jurisdictione pro foro interno & pœnitentia, dicitur dignitas. Castrop. loc. cit. Laym. Theol. Mor. l. 4. tr. 2. c. 4. n. 4. dum verò absque ulla jurisdictione fori externi & judicialis conjunctam habet jurisditionem fori interni pœnitentialis, potestatemque & jus administrandi populo